

uel ualdè se præbeat in laicorum ædibus scandalosum. Pericula non erunt ulla noua declinatis frequentibus illis minusque necessarijs congressionibus. Eleemosynæ sicut hactenus citra dantis aut recipientis discrimen ad manus peruenient egentium. Religiosorum non, ut ipsi cauillantur, imperio, sed non inutili iuuari poterunt opera atque consilio; nisi tamen hac in parte aliud uisum fuerit Sanct^{mo} cui in omnibus parere sunt paratissimi. 54, f. 163.

Denique in hac subordinatione nihil hactenus apparuit admodum difficile, nedum impossibile, nec alia secuta sunt hactenus incommoda quæ non contingere possint in quacunque Rep^a uel optimè constituta, si liberum esset hostibus inquietis pro libitu tumultuari et superioribus suis impunè aduersari. Illud præter omnia iam dicta summopere animaduertendum uidetur hanc quam isti modo proponunt nouam Regiminis formam prius ab Guilielmo VVatsono scripto fuisse traditam, qui deinceps quotidie cum Pseudo-Episcono Londinensi agit familiarissimè atque author extitit libri illius Quotlibetici in quo quamplurimæ habentur propositiones erroneæ atque hereticæ.

25. *Refutatio Responsi P. Personij ad Considerationes à nobis S^{mo} D'no N'ro propositas pro pace stabilienda in Ecclesia Anglicana.* 54, f. 163b.

Cum ulcus hoc, quo inscie totius ecclesiæ quæ in Anglia est corpus contabescit, sanari ægerrimè poterit nisi ad vivum resecentur omnia, et morbi ipsius fontes et scaturigines aperiantur, antequam incommodis istis quæ subordinationi a nobis propositæ objiciantur occurramus, hæc pauca prefigenda censemus.

PP. Personium nec uocatum ut Aron, nec missum ut Moysen sibi ipsi hanc dignitatem et auctoritatem sumpsisse, ut in urbe ab anno saltem 97. omnia Anglorum negotia tam priuata quàm publica solus tractaret, solus informaret, solus promoueret, alijsque omnibus, qui in illius quasi uerba jurati non essent, omnem tum fidem, tum aditum, et successum ad superiorum aures præcluderet: Quod aduentus eius ad urbem causa fuerit istiusmodi rerum

Anglicarum administratio, testes habemus literas eius, manu sua exaratas.

54, f. 164.

2°. quod solus cum suis hec omnia tractauerit, res est S^{mo} Dn'o nr'o et Ills^{mis} DD. VV. adeo nota et familiaris, ut non sit necesse ad informationes suas in publicis Archiuis remanentes confugere; deinde relationibus quibusdam tam in Vrbe quam in Anglia sparsis sequaces quidem P. Personij hoc sedulo demonstrare contenderunt, scilicet non posse in Anglia sartam tectam conseruari religionem Catholicam, si modo absoluta ista et irrefragabilis informandi et administrandi auctoritas à P. Personio et suis uel auferatur, uel diminuatur.

Vltrò certum est, alium preterea neminem ab illo tempore uel admissum uel permissum in vrbe, qui P. Personio ullo modo refragari sit ausus.

2°. certum est, subordinationem istam à Patre Personio inceptam et excogitatam eiusque informationibus et relationibus à Sanct^{mo} procuratam fuisse, ubi, siquid erratum est, in solo P. Personio est cudenda faba.

3°. ex ipsis literis institutiuis, literisque apostolicis, confessioneque ipsius D. Standisij (cuius manu et lingua parum ueraci P. Personius usus est ad subordinationem istam stabilendam) patet falsas fuisse informationes, et causas fictitias, quibus fretus P. Personius formam istam regiminis, quam ille Hierarchiam uocat institui curauit.

54, f. 164b.

4°. Cum ab illo responsum hoc ad considerationes nostras perfectum esse non dubitamus, uariasque in eo falsitates et calumnias contineri perspicimus, cumque ille acerbissimis nos (etiam post aduentum nostrum in urbem) contra mandatum Sanct^{mi} affecit iniuriis, partim uiua uoce partim asseclarum suorum clamoribus et excursionibus, idque apud omnes hominum ordines, partim libelli cuiusdam famosi, quem apologiam uocat, in urbe et in Anglia publicatione, contra Breuis Apostolici decretum excommunicatione . . . allatum, cumque nihil in dictis aut scriptis nostris ex eo tempore appareat acerbius aut immodestius prolatum, putauimus

(quod bona cum uenia Ill. DD. VV. fiat) et paci futuræ perquam necessarium et iustitiæ et ueritati eruendæ percommodum fore, si cum ipso P. Personio cominus et aperto Marte congrediamur, asseclis, et umbris eius pretermisissis.

Calumniarum cumulus quibus in hoc P. Personij

Responso præstringimur.

In articulo primo ambitionis preteritæ nos arguit falsissimè, et futuram nos in suspensionem trahit.

In eodem articulo inquietos, artº 3º et 8º turbulentos, articulo 5º tumultuantes uocat, art. 7. in lites et discordias propensos dicit, art. 8. adeo nos infames putat ut electis in superiores parendum 54, f. 165. esse dubitat.

Artº 9 apertos uocat seditionum motores et ualde scandalosos in edibus Catholicorum, in art. autem 5º apertè insinuat nos nec in fide fuisse constantes, nec sedi apostolicæ obediens, contra declarationem Sanct^{mi} qua nos nuperrimè hac nota liberauit et perpetuum huic controuersiæ imposuit silentium tam uerbo quam scripto, tam in vrbe quam in Anglia.

Breuiissima Calumniarum istarum Refutatio.

Cum nullum sit superiorum genus quos non summa cum alacritate agnoscimus (Archipresbiteri enim auctoritatem ad unum omnes uiso breui apostolico admisimus, in rebus controuersis primo ad Nuncium in Flandria, deinde ad Ill^{mos} Cardinales Protectorem et viceprotectorem rectà porreximus, et modo ad pedes sanctissimi prostrati quid de nobis rebusque nostris statuatur humillimè expectamus, sub uno capite unius corporis et Ecclesiæ membra constantissimè contra portas inferi et persecutionis impetum perseueramus) mirari satis non possumus à quo capite defectionem istam factam et seditionem excitatam à nobis toties et hic, et in libro suo apologetico inculcat P. Personius; à quo corpore separatos tam odiosè clamitat? cui potestati hostes tam inquietos et tur-

54, f. 165b. bulentos nominat? cum separationem aut secessionem ab alio capite et corpore inter fratres nostros nullam uidemus nisi forte seipsum duosque ministros intelligat, quem pro domino et superiore nec agnoscimus nec agnoscendum putamus. Turbarum autem et contentionum omnia semina et segetes, cum à tribus uel quatuor sui ordinis hominibus prodiisse uel lippientibus innotescat, nescimus quid illi in mentem uenerit in capita nostra suorum crimina retorquere iterumque uulnus hoc post infusum à Sanctissimo oleum refricare. Quod si hic Romæ in ore et oculis Ill^{marum} DD. VV. et in conspectu Suae sanctitatis post iniunctum silentium acquiescere nesciunt, quid de ijs in Anglia est sperandum ubi auctoritate armati posteriora prioribus peiora efficient proculdubio, nisi innocentiae nostræ à Sanct^{mo} D'no Nostro et Ill^{mis} DD. prouideatur?

Refutatio Proemij.

In proemio, duo à responsi auctore P. Personio tractantur: P^o incommodorum et periculorum aceruus in subordinationem à nobis propositam artificiosè congeritur quibus singulis seriatim suo loco singula dabimus responsa; 2^o persuasione quadam Rethorica à maiestate Sedis Apostolicæ desumpta subordinationi suæ succenturiare satagit. Quasi uero quicquid magis sedis apostolicæ dignitatem deceat et sanctitatem predicet, quam quæ falsis et iniquis informationibus impetrata uideantur eadem liberrimo et legitimo examine patefacere, et post detectas fraudes et artificia uel ueritatis suppressæ uel suggestæ falsitatis quæ primo tanquam preclarè instituta et breuibus apostolicis confirmata prodierunt, eadem non solum mutare et diminuere, sed potius abrogare et antiquare; quin et hoc solemne est in curia Romana, non ad paucorum importunitatem (ut suo more loquitur P. Personius) sed ad ueritatis et æquitatis iustissimas postulationes multa sæpissimè reuocare et reformare, presertim uero ea quæ in diiunctis et remotis regionibus in aliorum preiudicium ex falsis relationibus sunt instituta.

Quod autem de remedio loquitur tam presente et propitio,

nimirum posse penitus una uel altera S. S. declaratione omnia sedari, loquitur uel inuisus^a quantam nos fratresque nostri apostolicis scriptis reuerentiam et obedientiam exhibemus, aut errat longè qui putat multum diuturnitatis [?] esse custodem aut pacis propugnaculum? Verum is est captus hominis, ut preter uim et uirgam ferream nihil ad continendum in officio sacerdotes opportunum existimet aut rebus suis commodum.

Refutatio articuli primi

54, f. 166b.

De Ambitionis incommodo.

Hoc sibi palmarium putat P. Personius, ambitionis, seditionis, factionis, passionis, et indeuotionis labe conspergere omnes qui quicquam contra illum quem sibi opinionis errore finxit principatum hiscere aut mutire audent.

Quis autem nisi mentis inops, nisi oculis captus est, qui non uideat quorsum hec tendant, aut in qua herba lateat anguis, aut ex qua officina prodeat ambitio, qui Patrem Personium uel à facie nouerit, uel de eius libris, literis, et tractatibus uel tantulum degustauerit.

Mortuo felicis memoriæ Ill^{mo} Alano tumultuari ceptum est in Anglia inter quosdam Jesuitas et sacerdotes seculares, omniaque tam in carceribus quàm in prouincijs, tam domi quàm foris commoueri, vnde tempestatem futuram preuidentes, cogitauimus communi omnium tam secularium quàm Regularium consensu, et summi Pontificis approbatione de societate sacerdotum secularium instituenda et superioribus eligendis, qui certis quibusdam regulis subiecti, tam pietatis quàm charitatis opera ardentius quam in uita separata solebant exercere. Res grata uisa est Jesuitis, laudabant uehementèr pios conatus; at ueriti, ne concordia tanta confirmati sacerdotes illorum in dirigendis alijs in distribuendis eleemosynis et dirimendis controuersijs seu seminandis potius eneruarent auctoritatem, clanculum ad urbem miserunt qui,

54, f. 167.

^a Or *inscius*? There is something wrong in the latter part of this sentence.

associationem nostram seditionem uocantes, istam subordinationem in qua alieno nomine licentius dominari possint a Sanct^{mo} impetrarunt: hinc fundi nostri calamitas.

Ad ambitionem uero quod spectat de titulis aut infulis parum refert, modo imperet quis, modo de omnibus collegijs, seminarijs, collectis eleemosinis, pensionibus, controuersijs, residentijs disponat P. Personius, nemini uillicationis suæ rationem redditurus, siue suo hoc, siue alieno nomine, siue arte, siue apertè id faciat, nihil refert, dum faciat modo; neque in hoc tam secreto et tecto dignitatum aucupio ambitionis scintillas latitare cogitemus; demusque tantum homini religioso, illo nempè inconsulto, missos fuisse à Patre Holto Jesuita eius subdito legatos (quorum unus, ille nimirum qui peierauit, in vrbe est) ad Archiducem Albertum, qui nomine totius nationis ab eo peterent literas ad Summum Pontificem de P. Personio ad dignitatem Cardinalitiam promouendo; at suo se inditio prodit bonus iste pater, cum actiones et cogitationes uniuersas huc dirigit, ut Principibus persuadeat in suo supercilio sitas esse Catholicorum omnium fortunas, uoluntates, affectionesque, quibus fultus speciosissimas de Regno Angliæ potiundo chimeras, quoties et quibus illi commodum uidebitur, magnatibus obrudit; hec ueriss^a esse testantur Heskettus missus à P. Holto Jesuita (qui nil unquam inconsulto P. Personio superiori suo ausus est aggredi, et D. Worthingtono eius organo ad comitem Darbiensem, qui nomine Catholicorum eum ad Regnum capessendum incitarent, qui captus supremo supplicio est affectus. Ipse uero comes non post multos menses ueneno est sublatus.

54, f. 167b.

Testes sunt sacerdotes aliqui, qui à P. Personio id ipsum etiam in mandatis habuerunt, ut Comitem Darbiensem, sicut fecit postea Heskettus, pertentarent. Testis est liber Successionis, ubi multa de Catholicorum affectione et titulo Infantæ ceteris præferendo loquitur; huc spectant literæ missiuæ ad P. Holtum dum esset Genuæ anno 1597 cuius ueritatis tres testes producemus et prototypo testes subscriptiones alumnorum titulo Infantæ. Testis liber Reformationis, quem in refectorijs legi curauit, ex quibus

colligitur in hoc terminari Patris Personij ambitionem, ut possit quem uelit Catholicum ad Angliæ successionem promouere novamque Reipublicæ et Ecclesiæ formam, tanquam nouus Solon, ciuibus et posteris suis relinquere: quibus consideratis, et hoc et iam eius de instituenda et defendenda hac subordinatione egregium commentum nobis suspectum non immerito esse cepit, quippe qui eius opera [cognoscamus quomodo] quas uelit Catholicorum subscriptiones sacerdotum præsertim partim metu, partim minis, partim lenocinijs et promissis, cartæ licet uacuae appositæ possit extorquere, omniaque Catholicorum negocia, collectas eleemosinas, desideria etiam et uoluntates suo nutu dirigere, cuius opera et auctoritate poterit in suam sententiam uel inuitos trahere, uel pertinaces, et à tali ambitu abhorrentes [apud] exteros infamiæ et [improperiorum] cumulis obruere.

54, f. 168.

Cetera Ill^{ms} DD. VV. considerata relinquimus in qua subordinatione altiores radices egit ambitio aut certiora reliquit argumenta, ubi notandum est illa ambitionum incommoda quæ subordinationi nostræ opponuntur omnibus æquè collegijs, congregationibus, religionibus, Rebuspublicis, Regnis, ubi electione creantur magistratus et superiores, esse communia.

Refutatio 2^a partis articuli primi

De multitudine et vicissitudine Magistratum.

In subordinatione à P. Personio excogitata 12. sunt Assistentes, unus Archipresbiter, quibus per totum Regnum in hac nostra subordinatione quinque adiecimus, et duos ad quos in grauaminibus fiat recursus. In qua Regiminis forma, ut itinerum et impensarum uitetur longinquitas et grauitas, habebunt sacerdotes in suis prouincijs superiores ad quos confugiant, et quibuscum agant minimo cum sumptu, tum labore et periculo.

In vicissitudinem uero magistratum et annalem seu biennem elect^{em} minimè mirandum est quod in hoc articulo calamum acuant, utpote perpetuæ P. Personij dictaturæ ex diametro oppositam;

54, f. 168b.

quod si in confesso sit tantam uirtutis, pietatis, et deuotionis stragem in Rempublicam Christianam ex necessitate inferre istiusmodi frequentes superiorum mutationes, quid tandem patribus Concilij Tridentini in mentem uenit tales superiorum uicissitudines in omnes religiosorum familias introducere tanquam ambitionis, dissolutionis, superbiæ, et tirannidis antydotum; quid in collegijs, capitulis, sodalitijs, congregationibusque reformatissimis ubi annuis electionibus et mutationibus geruntur omnia? nunquid omnes exuisse pietatem, deuotionem et mortificationem dicamus, quod statis temporibus ad superiorum electionem conueniant? quid parochi qui de annuis creandis ædituis sunt solliciti, an ideo ut perpetuo animarum curam abijciant necesse est? quidquid de residentia in residentiam, hoc est de beneficio in beneficium, de parochia in parochiam singulis annis, aliquando uero mensibus, ab Archipresbitero mutantur, uel saltem ad nutum mutari poterint; nunquid et mentem una et meritum animarum lucrandarum mutasse dicamus? Quin et eo magis absurdum uideri potest nugas istas et mera figmenta de ambitionum et distractionum incommodis à P. Personij inuidia prodijisse, cum ipse alijque Patres Societatis qui Angliæ negotijs implicantur ita uitam actiuam et contemplatiuam in ordinem redegerunt, ut in ipso æstu et impetu contemptus mundi etiam de Regnis mundi Regnique titulis et rerum-publicarum reformationibus, sine ullo meditationum aut deuotionum obstaculo, libros imprimant, de missionibus, seminarijs, pensionibus, facultatibus, regimine, priuilegijs, de litibus, et controuersijs, de politia, et successore futuro Regni Angliæ sedulò tractent. Hec enim omni aut cum sua sanctitate ageret, scribit Pater Personius Genuæ Mart. 15. 1597, causam itineris sui ad urbem tunc temporis fuisse; preterea cum non solum publica sed priuata singulorum negotia amplectantur isti boni patres, mortificationis tamen magistri haberi uolunt, cumque nullum esse nuncium, nullum legatum existimamus Pontificis aut Principis qui plures Patre Personio literarum fasciculos ex omnibus Europæ angulis mittat aut recipiat, sumptibus et pecunijs pauperum et patrimonio

54, f. 169.

Christi (cum totus tamen sit in mundi fuga et contemptu) quomodo tam degeneres et angusti pectoris putet esse sacerdotes, ut non possint de biennio in biennium pro electione superioris congređi aut sygraphis suffragari, nisi uirtutibus nuncium remittant et in omnimodam superbiam et uanitatem defluant.

Refutation articuli secundi

54, f. 169b.

De Turbationis et Inquietudinis incommodis.

Hoc sedulo agit Pater Personius ut uisitationibus, appellationibus, causarum examinibus, canonicis probationibus, pecuniarijs rationibus precludat uiam, et pro suo arbitrato subordinationis huius suæ auctoritate munitus in sacerdotum omnium famas et fortunas sæuiat; deque collectis et eleemosynis omnibus ad libitum disponat, cum Alcibiade iniens rationem ne reddat rationem, ne fortassis ad calculos revocatus repetundarum reus cum suis inueniatur.

In hac uero à nobis excogitata regiminis forma, breuissimis itineribus, leuissimis expensis, minimaque animorum corporumque inquietudine transigentur. Hæc omnia, cum facillimum sit unam peragrarè Prouinciam, suffragia per literas transmittere et sæpissimè conuenire tam ad electiones quàm ad causarum decisiones, at in illa Patris Personij subordinatione omnes istas turbationum, sumptuum et inquietudinis difficultates concurrere, quis non uidet, qui uidet ex remotissimis Regni partibus ad unum Londini degentem superiorem esse confugiendum, uel ut se de crimine purget quis, uel ut uerè superiorem suum informet, uel ab eo ut petat quid, uel ut de grauaminibus conqueratur, quæ literis committi aut exprimi non possunt, quod si à superiore isto quid durius aut iniquius iniunctum fuerit, nullum in hac subordinatione refugium habemus nisi ad urbem confugiamus.

54, f. 170.

Certum est igitur eum, qui electionibus, appellationibus, uisitationibus, canonicis probationibus, pecuniarijs rationibus, in Republica (ad cuius ipse clauum sedet) nullum relinqui debere locum existimet, merito posse in affectati imperij suspitionem trahi.

Refutatio articuli tertij
De Litibus et Discordijs.

Tantum abest ut contentionum seges fertilis ab hac nostra forma oriatur, ut nihil ad pacem et fraternitatem stabiliendam aptius excogitari potuerit, quam hæc tam æquabilis et moderata imperandi et subijciendi forma, cum illa arbitraria Patris Personij subordinatio nullis legibus, nullis limitibus circumsepta omnem iniustitiæ, violentiæ, et oppressioni libertatem indulgens, perpetuum quoddam discordiarum et contentionum erit fomentum.

54, f. 170b.

Refutatio articuli quarti
De Distractione perpetua ab Animarum cura.

Hæc omnia gratis esse dicta facillime perspicient Ills^{mas} DD. VV. tum ex ijs quæ superiori articulo de uicissitudine superiorum diximus, tum quod hic sicut in alijs capitibus nihil probari aut argumento aliquo confirmari uideant. Quid enim impedimenti aut meditationibus aut mortificationibus aut curæ animarum afferret aut imprimeret in sacerdotum animis unius horæ aut diei occupatio, et in negotio electionum et uisitationum sollicitudo post biennij in summa pace transcursum curriculum; cum ipsi, inter tot secularium negotiorum fluctus et uoragines perpetuo agitati, nihil tamen ad spiritualia segiores aut ad conscientiarum directionem aut animarum curam ineptiores haberi uelint.

Refutatio articuli V^{ti}
De periculis Detectionum et Comprehensionis.

54, f. 171.

Non sunt ad electiones istas nostras necessariæ tam frequentes congregationes et congressus, nec tanti rumores et strepitus qui toties et tam artificiose in responso Patris Personij inculcantur, semel enim singulis annis uel post biennium tractari potest hoc negotium uel una congregatis eiusdem prouinciæ sacerdotibus (quod sepius singulis annis uel casu uel leuioribus de causis euenire

solet) uel scripto uel nuncio missis suffragijs. Cum autem ubique in periculis versamur, sepius autem in Catholicorum edibus conuenimus, questio est utrum qui decem dierum iter conficit, ut superiorem adeat et alloquatur totidemque in reditu insumat, maioribus et crebrioribus sit periculis, sumptibus, animique et corporis motibus obnoxio, quam ij qui uno plerumque die aut ad summum biduo aut triduo idipsum conficit negotij. Undique sunt pericula, molestiæ, labores, at in ista Patris Personij subordinatione tantum sunt grauiora et diuturniora, quantum à tribus decem, aut sex uiginti multitudine et disparitate disiunguntur.

Refutatio articuli sexti

De Eleemosynarum subtractione.

In sexta sua de eleemosynis ratione quantopere P. Pars. ratione destituatur, patet facilius atque apertius, quam ut cuiquam obscurum esse queat, nam cum uix unquam alias copiosiores eleemosinæ a Catholicis in Anglia datæ fuerunt (ut testatur D'nus Blacuellus in literis suis 20. martij 1600 datis) nec unquam minori cum æquitate et parcius distributæ, cumque non solum sacerdotum ferè omnium uita (siue hi in carceribus degant siue extra) ab eleemosynis maximè pendeat, sed alij plurimi Cath. domi forisque et priuatim et in communi uictitantes harum piarum eleemosynarum subsidijs sæpe sustententur; quid æquum magis est aut necessarium, quàm ut tales eleemosinæ ita dispensentur, ut et dantium uoluntatibus et egentium necessitatibus optimè consulatur et satisfiat? Hæc autem dispensatio ut recte ac sine omni diminutione et fraude fiat, nulla facilior, tutior, aut honestior uia nobis occurrit, quam ut de acceptis e quibuscunque eleemosinis ratio aliquando reddatur. Sintque preterea constituti aliqui uisitatores nimirum ad quos pertineat precipuam quandam curam eorum qui in necessitate maiori sunt habere; ut hac ratione, et maximè egentibus subueniatur distributione, et accipientibus quasi aliquod frenum imponatur, ne eas effusè aut negligentius in suos aut alienos super-

54, f. 171b.

54, f. 172.

fluos usus profundant, aut minus ex uoluntatibus contribuentium. Quibus sane rationibus ita respondet Pater Personius ut nihil respondeat, unum tantum affirmat esse ualde periculosum, ut nomina dantium prodantur; quasi uero aut hi omnes qui largiores eleemosynas conferunt ita lateant, ut non sint multis Catholicis ipso nomine cogniti, aut necess^m sit in reddendis rationibus dantium nomina semper exprimi, cum satis fuerit acceptas summas simul et modum causasque dispensandi in rationes referre easque superiori suo Archipresbitero aut uisitati pro tempore existenti exhibere, qui cum unicus erit, simulque et semel rationes eorum accipiat, nec alteri quam successori tradat, non uidemus cur adeo de euulgatione timeri debet, aut uel minimum inde datoribus (quibus dandi cui uolunt potestatem relinquimus) creari periculum, multo uero minus hoc apud probos et rectæ conscientiæ sacerdotes (quibus dispensandi libertatem non negamus) ad emulationem uel ad dissensionem ualebit, qui non quæ sua sed quæ Dei sunt querentes, id tutissimum ad suarum conscientiarum securitatem reputabunt, si in his quæ fidei suæ fuerint commissa rectè dispensandis, non Deum solum sed etiam homines testes habuerint neque quicquam perinde; atque hec cautela æquissimaque ratio in pecunijs dispensandis apud Catholicos laicos ualebit ad eorum liberalitatem excitandam, quæ etiam procul dubio latiore[m] [uiam] erogandis eleemosinis aperiet, claramque efficiet talem rationem omnimoda ratione à Catholicis in Anglia admitti et posse, et debere.

54, f. 172b.

Neque nouum hoc est quod proposuimus, aut à praxi ecclesiæ primatiuæ alienum, cum in 6^o Actorum diaconos talibus præficiendos collectariis rationibus non dissimili omnino data occasione decreuerunt Apostoli; facto quotidiano ministerio despicerentur; eadem sunt tempora persecutionis [scilicet] idem contemptus et inequalitas in repartendis collectis; idem quasi numerus designatur, hic diaconorum, apud nos superiorum; ubi aliter Apostoli, aliter se gerit Pater Personius, illi enim in hac exorta in ipsis ecclesiæ incunabulis contentione summa cum suauitate fibras et radices malorum (adhibita Diaconorum cura et sollicitudine)

euellunt. In Patris uero Personij responso, quid hic simile pietatis? factum est murmur sacerdotum incarceratorum laycorumque plurimorum quod in distributione collectarum se spreto animaduertent. Ex quadraginta quinque millibus enim aureorum, quæ defunctorum legationes (preter alias pecunias quas Catholicorum uirorum largitas contulit) in pios usus his quatuor superioribus retroactis annis erogarunt (ut magni Jubilei eleemosynas taceamus) qui in D'no uincti fuerunt ne tantam quidem partem receperunt ut sine graui æris alieni pondere ad uictus et uestitus necessaria comparare sibi potuerint. Sacerdotes passim in summis rerum angustijs uicitabant. Et ex laicis aliqui magnæ notæ et nominis homines fame miserrimè perierunt, cum interim 660 aureorum in Belgias transmittenda rapuit fiscus, et alia 16000 dicuntur tuto illic paulo antè peruenisse. Hinc factum est iustum murmur. Petunt Catholici rationes reddi, et superiores constitui, ne sicut hactenus cum uitæ dispendio spernant in distributionibus. Hic Pater Personius emulationem, seditionem, pericula eleemosynarum subtractiones clamat, neque æquum esse censet cum Apostolis præficiendos Diaconos, sed castigandos eos qui his malis medelam adhiberi cupiunt. Immemor fortasse quid Pater Westonus in Castro Vuisbicensi cum D'no Bluetto questore communi eleemosynarum (qui 15000 aureorum annuatim pro carceris illius subsidio solitus erat recipere) ageret, gratitudinis enim et pietatis pretextu non solum ad calculos eum exactissimos uocari librosque perscrutari uoluit sed nomina etiam benefactorum tabulis inscribi et in singulis cubiculis affigi æquissimum putauit. Verum nondum ad illos peruenerant loculi, neque hominem integerrimum, qui quindecim annorum sollicitudine, et collectarum distributione summa cum fide et omnium satisfactione Catholicorum omnium in se oculos conuerterat, tam cito de sede et auctoritate sua deturbare poterant.

Tandem uero, illo artificiosè, contentiosè, et scandalosè excluso, rerum potiti sunt, ubi imposterum, solitis eleemosynis aut non missis aut malè impensis, summis premebantur angustijs.

54, f. 173.

54, f. 173b.

Refutatio articuli septimi
De Calumniarum occasione.

In septimo articulo grauissimè conqueritur Pater Personius Jesuitas suos ab electionibus et secularibus administrationibus excludi; at uero id nobis non solum æquissimum et ordinatissimum sed paci ecclesiæ Anglicanæ maxime necessarium uidetur, ut non magis Jesuitæ sacerdotum secularium, quam sacerdotes Jesuitarum aliorumque religiosorum electionibus et administrationibus se immisceant neque hoc alitè accipi uolumus quam totius Christianæ ecclesiæ praxis consuetudoque obseruat. Non enim aut pacem conciliare aut fraterna correctione uti, aut uere pietatis charitatisque fungi officijs eos probibemus, sed quia omnium harum calamitosarum dissentionum causa precipua et auctores extiterunt quidam Jesuitæ, dum ambitiosè nimis et uolentèr imperium in clerum Anglicanum affectarunt, tolli hæc denuo aut sopiri nulla ratione queunt, nisi illi rerum perturbatores non modo à regimine sacerdotum, sed etiam ab omni eius ambiendi potestate, et occasione adeoque suspitione excludantur. Hancque ob causam, non tantum Jesuitas professos illos, et palàm cognitos, sed illos etiam latentes et uel solo uoto seu proposito Societati obstrictos, remouendos ducimus, à quibus hæc eadem mala (licet latentius non tamen minus periculosius) prestare experimur, adeo ut uel eo grauius periculum paci publicæ ab his immineat quam ab ipsis professis Jesuitis, prout occultiores sunt nec alijs quam suis Jesuitis, uel ob hanc maximè causam cogniti, ut ista omnia tutius per eos atque artificiosius in seculari regimine conficiantur. Nam ij sunt quos Jesuitæ post manifestatum ipsius propositum ingrediendi societatem, imo post emissum religionis votum, ad se recipere nolunt, sed foris per annos, tanquam seculares, data opera [uolunt] excubare, ut exploratorum munus inter sacerdotes exercent atque ad omnia sint parati conficienda quæ ex re Jesuitarum esse possint. Hos diligentissimè instruunt in hoc Tyrocinio, et secularibus præfic

54, f. 174.

curant, ut in auctoritate constituti facilius efficaciusque res omnes et omnia Jesuitarum molimina promoueamt.*

Magna sane pacis turbatio et nimia boni publici iactura ex alio hominum genere oriri necesse erit, quos Jesuitæ premijs presentibus et futurorum spe sibi allicere et deincere ubique solent, ut ad suum nutum omnia (quando occasio fert) conficiant; istos si ab electionibus et rerum nostrarum administrat^{ibus} non excludimus, illos certe non ægrè ferre debent prohiberi, quos certum habent aliud Instituti genus secularibus iam esse ingressos, presertim cum nec ipsos Jesuitas (qui uideri uolunt in lucrandarum animarum operibus et desiderio ceteris præluere) latere potest quod omnibus notum est, Clerum, et totam Ecclesiam Anglicanam, quæ intestinis dissentionibus modo cruentata miserè jacet, felicissima pace et concordia floruisse, donec Jesuitæ cum [occultis] suis nouitijs fines proprios egressi, sæcularium negotia inuadere et tractare precipitantius ceperunt, dominatum artificiosè ambire in carcere Vuisbicensi; deinde (illo non ex sententia succedente) presentis regiminis formam falsis informationibus instituere, superiores omnes eligere, leges præscribere, et eo demum singulari gradu dominandi omnibus tam rebus tam hominibus presidere, ut nihil maioris momenti deberet effici à superioribus secularibus quod non prius iudicio hominis Jesuitæ esset comprobatum. Tunc enim non homines ob prudentiam aptiores ad gerendum magistratum, non ob æquitatem digniores loco, aut ob industriam merito prestantiores qui fraterna charitate paceque omnes coalescere inuitarent, ad prelaturas eligebantur; sed illi soli assumpti ac ad regendum accessiti sunt qui ui, minis, metu optimos quosque ex secularibus, aut cogere Jesuitarum uoluntatibus in cunctis acquiescere aut eos immeritis infamijs iniurijsque audactè obruerent, ut de

54, f. 174b.

54, f. 175.

* The existence of these "Jesuits in disguise," or "covert Jesuits" as they were then called, on the mission, was a constant source of complaint on the part of the secular clergy. Similar offence was given by the vow of obedience to Father Parsons taken by Dr. Worthington when vice president at Douai. The list of scholars at Rome who have become or are "reputed Jesuits," 1597—1602 (*infra*, p. 214), appears to have been drawn up in reference to this subject.

Archipresbitero et assistentibus (qui ex duplici hominum genere per Jesuitas electi fuerunt) meridiana luce clarius patescit.

Notum preterea omnibus est quam admiranda fuerit gloria, quam utiles progressus Collegij Rhemensis (quod modo difforme nimis et sterile manet) antequam Jesuitæ procuraciones pensionum in Hispania et Roma, et in Anglia communium eleemosynarum administrationes sibi arripuerint. Itaque cum certissimum sit et nimis manifestum non priuatos solum sed uniuersam Anglicanam ecclesiam tot incommoda, tanta damna, tantam calamitatem ex hoc presertim capite tulisse, quod Jesuitæ cogniti et latentes negocijs secularis Cleri se immiscere permetterentur, non molestè ferre deberent si tandem post tantas acceptas clades cautiores effecti et serius nobis consulentes, eos et eorum occultos nouitios à nostris electionibus et administrationibus coerceri cupiamus.

54, f. 175b.

Vtque nostrum non esse putamus tam curiosos esse in aliena Republica, ut de illorum regimine, subordinatione et superioribus inquiramus, aut quomodo illorum nouitij in Anglia recepti, et Angliam, ut alij solent sacerdotes, peragrantes sine nouitiatu, aut recipi, aut retineri, aut spiritu religioso imbui intèr tam diuturnas distractiones potuerint, sic nec illis æquum esse existimamus, nostris uel præesse uel interesse electionibus, neque ulterius se immiscere quam solent ceteræ in Ecclesia Dei Religiosorum familiæ. Hæc enim est uera Hierarchia, ubi singuli ordines et status ecclesiastici suo se loco, suis legibus, suis limitibus contineant, neque stationes suas deserunt, neque in aliorum castra prosiliunt, ut uitetur omnis confusio et calumniandi et murmurandi occasio.

Neque sane difficile erit (cum res ita postulare uidebitur) suspectos hos sine omni errore, dissidio, aut iniuria discernere; id enim uel unico uerbo prestari potest, si non satis sit presumere et credere Catholicos sacerdotes omnes, post apostolicam prohibitionem, uelle ex se libere, pietatis solum et conscientia bonæ intuitu uetito abstinere sponteque, si uinculum habeant, detegere.

Neque rursus (ut Pater Personius affirmat) impossibile magis erit quod proposuimus de excludendis Jesuitis ab his tractandis

in ipsa Anglia quam sit clerum in reliquo Christiano orbe in eisdem animarum negotijs cum ceteris Religiosis familijs sine secularium negotiorum commixtione uersari, unaque tùm religiosæ tum fraternæ charitatis officijs incumbere. 54, f. 176.

Nos igitur ceterorum Christianorum exemplo pacisque conciliandæ ac conseruandæ studio, denique usu et ratione docti non spiritu nescio quo (ut Pater Personius objicit) moti, nostra negotia nobis, alijs sua relinquimus et uindicamus. Quæ uero de Ill^{mo} Alano, Sandero et alijs affert (quia calumniæ sunt) intacta abire sinimus. Interim tamen serio affirmamus Jesuitas Alano et optimis quibusque Anglis, tum in regendis Collegijs tum in rebus Angliæ tractandis, summoperè ob eam maxime causam displicuisse, quod spretis secularis Cleri honore et fama posthabitisque commodis et pace Ecclesiasticæ Anglorum Republicæ, nimio ardore et impetu ad sua in cunctis querenda ferebantur. Quod sane ab Ill^{mo} Alano ab ipso initio animaduersum causa fuerit, ut non nisi inuite eos ad alumnorum Anglorum regimen admitti consenserit: introducti uero in Romanum Collegium et messem Anglicanam, ad suæ prudentiæ regulam ita omnia redigere conati sunt, tum fouendis dissensionibus tum omnia ad se trahendo, ut pretèr ipsos auctores etiam reliquos fere omnes tantæ illis collatæ potestatis penituerit, planè animaduertentes, ex infausto rerum euentu, multo ut ante felicius sic post tranquillius et fructuosius consultum fuisse rebus Anglicanis, si, relictis Jesuitis, in solis bouibus id est in clero seculari (ut ceptum erat) arare perseuerassent.^a 54, f. 176b.

Epilogus pro sexto et septimo articulis.

Verum cum in sexto hoc septimoque articulo maximam uim suarum rationum facere uideatur Pater Personius, satis mirari non

^a But, if it be true that Allen would have preferred that the government of the college at Rome should not have been placed in the hands of the Jesuits, it was he who, when differences arose, persuaded the Jesuits to take part in the English mission, and it was the superiors of the Society who at first rather held back from the undertaking.

54, f. 178.

possūmus uirum eius prudentiæ suam suorumque et dominandi et pecuniarum cupiditatem tam manifestè prodere. Quid enim illis indignius qui se mundo mortuos et à secularibus rebus separatos profitentur, quam uix sub uerborum fūco hanc intemperantiam animi sui uelare posse; presertim cum se hoc nomine pessimè apud Anglos audire non ignorant, quod dominatum in clerum secularem affectare et pecunias præ ceteris in usus proprios ac luxum sollicitius aggregare et profundere cognoscantur. Cur enim his rationum umbris ac commentis tantopere contendit bonus ille Pater ne sui ab electionibus et administratione arceantur, neue acceptarum et distributarum pecuniarum cuiquam reddant rationem? Cur tam inania objicit pericula, dissidia, emulationes? Cur tantam sollicitudinem de quietis meditationibus et pietatis exercitijs sacerdotum habet, et nolit eos pecuniarum aut ambitionis cogitationibus à mortis et tormentorum tolerandorum cogitatione ad punctum temporis detineri? cur aliud omne quam præsens regimen damnat, et aspernatur? non ob aliud certè, quàm ut plenam quam obtinent potestatem Jesuitæ retineant; quod directè uindicare non audent indirectè consequantur; pecunias, quas uerbis respuunt, reipsa omnes in suam potestatem redigant, de his deque elemosynis, sacerdotibus, laicis, rebus denique omnibus, maximis minimisque, pro suo arbitratu, nemine contradicente disponant.

Refutatio octauæ articuli

De Impossibilitate praxis nouæ formæ.

54, f. 178b.

Nemo est ex bonis et quietis sacerdotibus qui cum fratribus suis etiam quietis (utcumque illos turbulentos dicat Pater Personius) conuenire refugiet; et de facto in ædibus nobilium unà uiuunt, et unà congregiuntur, partim casu, partim dedita opera; uerum esto ne sacerdotes [quidem] posse adduci ad conuentus istos, nec nobiles laycos eos admissuros, quod usu quotidiano (licet id strenuè egerunt Jesuitæ nostrates, ne à Catholicis reciperemur, idque apud Sanctitatem suam importunius urgebat Pater Personius, ut id ipsum in ultimo breui Catholicis omnibus iniungeretur) falsissimum esse experimur;

attamen cum electiones istæ absentium syngraphis possint commodissimè confici, totum hoc de impossibilitate commentum corrui. Quod si hac ex parte talis aliqua emergat Impossibilitas, ex literis institutiuis Archipresbiteri multo manifestiùs apparet ubi ille et sacerdotes ad se uocare, de criminibus cognoscere, conuentus facere, et in eisdem presidere iubetur, quæ omnia in hac nostra forma uidentur factu impossibilia, præcipue uero impossibilem statuunt esse legitimam criminum conuictionem quia conuicto in promptu est tam de iudice quam de testibus hereticorum opera uindictam sumere. Quæ impossibilitas æque in auctoritatem Archipresbiteri militat, quomodo enim aut sacerdotes ad se uocabit, aut testes audiet aut corriget quenquam, cum conuicto in promptu sit tam de iudice quam testibus uindictam sumere? quod hactenus tam calamitatibus obruti et iniurijs affecti ab Archipresbitero, nostrorum fecit nemo, neque faciet, ut speramus, quisquam à Deo derelictus, utcumque omnia suspicionibus implere cupit Pater Personius, ut aliquod habeat semper quo fugiat de[verti]culum. 54, f. 179.

Refutatio articuli noni ubi dicitur in presenti Subordinatione
cessare omnia predicta Incommoda.

Iam satis superque demonstratum est omnia illa quæ subordinationi a nobis proposita obijciuntur meras esse nugas et commenta, in illa uero Patris Personij regiminis forma maxime uigere, quibus si illa etiam addamus incommoda quæ in alio scripto à nobis Ill^{ms} DD. VV. exhibito apparent, facillimè, ut speramus, uidebunt Illust^{ms} DD. VV. qui sint reuera pacis et fraternitatis amatores, et num in hoc precipiti uiolente rerum cursu quo impellentibus alijs fertur Archipresbiter (tam leuibus de causis ut ipse confitetur tam graues exercens inimicitias, et infligens penas, quæ usque ad uitam ipsam et animam penetrant) sperari poterit aliquis contentionum finis, aut presentium motuum cessatio.

Ad motum enim primi mobilis (P. nimirum Personij, qui rapidissimus et uiolentissimus esse solet, cum moueantur in hac subordinatione omnia, ad unam . . . Patris Personij potentiam et auctori-

54, f. 179b.

tatem stabiliendam inseruire uidentur, et hoc tam absolutum in Archipresbiteri dominium, et tam cæcam quam à sacerdotibus exigit obedientiam: quid enim magis Tyrannidem et extremam sapit ambitionem, quam in dicta causa, non admissio aut uocato reo, sine lege, sine teste, sine appellationis remedio aut subsidio, extremo famæ et fortunarum supplicio hominem sacerdotem afficere; quod ab Archipresbitero sepius factitatum ostendimus in grauaminibus sanctissimis exhibitis, et ex natura ipsius regiminis loci et temporis in quibus instituitur et uiuitur fieri necesse est probauit ex suis incommodis Pater Personius.

Iustitia (ut inquit Propheta) et pax osculatæ sunt. Quam ergo ex subordinatione illa pacem sperare licet in qua procuranda et exercenda iustitiæ ipsius fundamenta conuellunt! Quod si ex æquo et bono contra omnes naturæ et ecclesiæ leges et canones punire, iudicare, et imperare licet propter temporum et locorum difficultates et pericula, ex æquo etiam et bono obedire licet propter eadem pericula, et sic arbitraria erit tam superioritas quam subiectio.

54, f. 180.

26. *Letter of the four Appellants communicating to their English brethren the papal sentence on the question of Schism.*^a

Admodum Reuer^{dt} in Xp̄o Patres fratresque

Exhibuimus Ill^{mis} Cardinalibus Burghesio et Arigonio (quos sanctissimus arbitros instituit in causa nostra, uiros tam pietate et uirtute insignes, quam legum scientia et rerum experientia et animi candore omnibus gratos) rationes quibus ducti distulimus Archipresbitero ante aduentum Breuis Apostolici obedire. Quibus cum sanctissimo communicatis undecimo Aprilis, placuit Ill^{mis} Cardinalibus sanctitatis suæ mentem eodem die nobis significare, nimirum quod propter dictam dilationem nec scismatici nec rebelles aut inobedientes extiterimus, et quod confessiones factæ

^a There is no heading to this document in the original. The letter was signed by the four appellants at Rome, and addressed "to John Colleton and Antony Heborne and the rest of their associates." See above, p. 11.